

78
Historia de dissolutione
colloquii Vormatici insti-
tuti ad Catholicae fidei Pro-
tectores. pr. Fr. Staphylum
Nisso Sileriorum
Excudit. Joh. Cruciger
1558.



1307

CIMELIA

Cim. O. 1307

Dec. 12th. 1834

Sup. A. L. Macmillan

27 30

HISTORIA
ET APOLOGIA VTRI-
VSQVE PARTIS, CATHO-
licæ & Confessionariæ de dissoluti-
one colloquij nuper Vuormatiæ
instituti ad omnes Catholi-
cæ fidei PROTE-
CTORES.

Per Fridericum Staphylum.



NISSAE, *Silesiorum.*
Excudebat Iohannes
Cruciger.

Anno M. D. LVIII.

Canis. Et officialis. 1719

HISTORIA ET APOLOGIA VTRI- VSQVE PARTIS, CATHO- licæ & Confessionariæ de dissolutio- ne colloquij nuper Vuormatiæ instituti, ad omnes catholicæ fidei PRO- TECTORES.

DVO tempora sunt, quibus præcipue potest, qualis
quisq; in communi hominum societate ciuis sit,
animaduerti, unum priuatæ cupiditatis, alterum salutis
publicæ. Etenim in tanto hominum numero non exigua
multitudo est eorum, qui aut propter metum pœnæ, cum
suorum sibi peccatorum bene sint conscij, novos motus
conuersionesq; reip. quærant: aut qui propter insitum
animi furorem atq; superbiam, discordijs ciuium pascan-
tur ac seditione: aut qui propter implicationem rei fa-
miliaris communi incendio malint, quam suo deflagra-
re, ut domesticæ egestatis famem aliquando satiare pos-
sint direptione rerum publicarum. At quia etiam uul-
go nonnunquam manifesta flagitia improbantur, aperta
uirtus placet, solent nouatores illi speciem quandam ob-
tendere publicæ libertatis: quam fingunt ab his, quos
oderunt, cupiuntq; sublato, uel negligi perniciose, uel
oppugnari hostiliter: quippe ut tali prætextu primum

A ij leges

leges possint delere antiquas, deinde nouas promulgare et suas, hoc est, eiusmodi placita, quæ ueritati ac paci inimica sint, quæ seditionibus studijsq; populi oportuna.

Nec hisce machinationibus desunt fraudes suæ: quemadmodum enim artes disciplinæq; eæ, quæ recte constitutæ habentur, e firmis sunt solidisq; procreate atq; enutritæ principijs: sic contra necesse est, commentitia, et ementita quæ sunt, ea etiam e falsis proficisci, et ali mendacijs: ne, cum isti artifices uanissimarum suarum opinionum in animis decepti uulgi domicilium colloauerint, desint confictæ sententiæ, pabulum scilicet institæ uanitatis.

Quod sane popularis auræ aucupium si ante forsitan propter obscuritatem tectæ fraudis non satis patebat, nunc profecto patet euidenter propter lucem habiti colloquij, præsertimq; ex eo scripto, quod nonnulli ex aduersa parte collocutorum nuper ediderunt Francfordiæ. Nam postea, quam colloquio finem imposuisset aduersariorum inter ipsos discordia, proh Sancte Deus, quam accurate, quam anxie, quam trepide laborauerunt: ne hæc ipsorum fœdissima dissensio patefieret populo: ne hæresis multiplex et uaria cognosceretur: ne, quoniam ueritati causæ diffidant, fidant autem populari applausui, de summa rerum cogerentur periclitari. Tantis sane conatibus hæreses tuentur suas aduersarij, ut neq; ullius laboris pigeat, nullius pudeat mendacij. Cum interea Catholici stertant securi, causæ ipsi quidem fidentes, sicut par est, at minus certe, quam decebat, sedulo procurantes

procurantes rem commissi ouilis. Eamq; ob causam omnino fit, ut maioribus præsidijs et copijs semper Ecclesiam oppugnent heretici, quam Catholici defendant: credo equidem, quia audaces homines et perditum nutu impelluntur, sponte sua ad perturbationem procliuēs: boni, nescio quo modo, tardiores, et, principijs rerum neglectis, ad extremum ipsa deniq; neceitate excitantur, ita, ut nonnunquam cunctatione ac tarditate, dum oculum uolunt etiam sine dignitate retinere, ipsi utrunq; amittant. Atqui uidemus idcirco plerosq; si leuiiores sunt, desciscere: si timidiores, officio deesse suo: si constantes, excelso animo omnia Ecclesiae causa perferre: quales adhuc Germania habet aliquot, tametsi admodum raros: quos tamen spero aliquando excitatum iri, ut nos, qui communem Ecclesiae causam tractauimus Vuormatiæ, uindictent ab immani criminatione aduersariorum.

Iam menses sunt tres, et paulo plus etiam, quod aduersarij edito scripto culpam abrupti Vuormatiensis colloquij in theologos catholicorum principum transferre connitebantur: interea, quod sciam, nemine nostrorum obnitente, qui uel syllabam responderit: ne dicam refutarit adeo insignem calumniandi audaciam. Ad me uero quantum attinet, quia laicus sum, quia neq; hisce studijs continuo deditus, neq; meam ipsemet possum excusare ignauiam, inscitia aliàs per se nota est: arbitrabar itaq; cum cessent alij longe doctiores, minus me facere prudenter, si, quod illi tanquam longius prospici-

entes contemnere uideantur, id ego uelim tentare: praesertim qui neque autoritatem huic causa, neque eruditio-
nem parem asserre queam. Ita equidem sentiens cogita-
bam. At secus uisum fuit amicis: qui me temere con-
ducibilis agere malebant, quam prudenter remissius.
Nec etiam diffiteri possum, quin a Catholicis principi-
bus sim ad colloquium expetitus, ab inclyto rege Rom.
iam designato Cesare missus, quin eam quoque praestiterim
in colloquio fidem, quae a fidei requirebatur, ut ueritas
inuestigata errorem pelleret, pacem constitueret in Ec-
clesia atque republica. Huc accedit, quod homines maleuo-
li tristem de me famam sparserunt uulgo, quasi ego po-
tissimum discordiae inter aduersarios obortae author ex-
titerim: unde postea secuta sit occasio dissoluendi col-
loquii. Haec quidem me, eiusdemque generis alia, impule-
runt, ut falsam de euentu colloquii historiam refutandam
pro tenuitate mea duxerim, doctioribus, ut confido, an-
sam praebiturus eadem scribendi neruosius. Sed hoc satis
de me, iam de re quantum potero, breuiter atque dilucide.

Colloquium Vuormatiae inchoatum esse, nemo igno-
rat: absque ullo fructu dissolutum, deplorant omnes pii:
iamque in disceptationem uenit, utra pars tam necessarij
negotij, tamque salutaris, perturbatrix extiterit. Theo-
logi uero confessionarij (ita enim nuuc illi malunt, quam
protestantes dici) rebus colloquii plane perturbatis,
cum VVormatia discessissent, et nos Catholici triduo
post etiam eandem Vangionum urbem deseruisse-
mus, nostrum aliquot sumus Augustam profecti: sed uix
dum hospitium ingressis nobis continuo offerebatur ad-
uersaria

uersariae partis scripta quaedam de euentu colloquii apologia: quæ, ut comptum est celerius totam Germaniam potuit complere fama sui, quam quisq̃ nostrum ad sua reuerti. Tanta nimirum opus fuit celeritate, ne, q̃ acceperant, uulnus in dubitationem adduceret animos uulgi.

Argumentum uero eius apologiæ fuit hoc. Se quidem cupide expetiuisse colloquium, et studuisse, quoad licuerit, id continuare, nec aliud ardentius concupisse, quam tolli controuersias, quam ueritatem stabiliri & pacem, quam unanimem de Christiana religione concordiam sarciri. Aduersarios autē, qui soleant idolomanias defendere, lucem fugisse, colloquium obrupisse: se omnino extra omnem culpam esse. Hæc illius apologiæ summa est: cui dum respondero, nemo uelim quicq̃ a me eorum, quæ in colloquio tractata sunt, proferri expectet: religione enim iurisiurandi obstricti sumus ad fidem silentij: nisi forsitan ea, quæ uel extra colloquium gesta sunt, non inserta actis, uel a collegis prodita aduersariorum.

Confessionistarum autem uniuerſa translatae culpæ criminatio cum posita sit in nuda assertionē, nullo adhibito neq; testimonio ullius hominis, neq; ullo argumento ipsius causæ, satis omnino esse, si modo apud sanos iudices atq; cordatos hæc causa, non apud corruptum populum diceretur, respondere, q̃, actore non probante, reus iure absolui debeat, etiamsi nihil præstiterit. Satis, inquam, hoc esset, & abunde satis: nisi utranq; aurem uulgi tenerent aduersarij, neutram Catholici. Proinde cum nihil rite, sed omnia peruerſe agantur: cumq; opinione uulgi, non legitima iudicis sententia lites ecclesiæ

A iiij stica deter=

sicæ determinantur: cum deniq; nec ipsi aduersarij probent, quod asseruerunt: nos oportebit, quod inficiamur, argumentis euincere, legitimisq; documentis refellere, quod illi obijciunt fraudulenter. Quare sit hoc primum inficiationis nostræ fundamentum, aduersarios nunquam uere probaturos esse, quod falsò criminantur. Deinde, si rem ipsam scrutemur, quid est aliud abrumpere colloquium, quam aut simpliciter detractare institutam doctrinæ collationem? aut obtenta aliqua conditione, progressum colloquij impedire? Tertia enim uia, quæ se his duabus ingerat mediam, nulla apparet. De utraq; igitur dicam, sed de illa initio, post de hac altera.

Libenter equidem hoc in loco, si mihi liceret, perquirerem ab aduersarijs, an, cum nullum ullius hominis iudicium uereantur, acrem aliquem possint conscientiæ suæ morsum, testem admittere. Rogent enim uelim ipsos se, num ullo modo probabile sit, nos, qui a principibus fuimus missi, qui Vuormatiam multis magnisq; itineribus sumus profecti, qui in colloquium uenimus, qui id etiam inchoauimus & continuauimus aliquandiu, nihilominus nullum simpliciter uoluisse colloquium? Cur tot molestias subiuiimus? cur periculosas illas grauesq; protectiones suscepimus? cur tot tantosq; exhaustimus labores? Quid principes nostri? Num illi dum tantos sumptus facerent, malebant existimari cupere colloquium, ut non sit, quam esse, ne existimentur? Absurdum: quis ita delirat? Atqui ut nos ita simus peruersi iudicij, & tam profusæ prodigalitatæ nostri principes: quæ
tamen

tamen usquam ulla uox talis audita est de ea re? quis
eiusmodi conatus in nobis deprehensus? quæ ulla in e-
um finem notata actio? Nihil enim actum in colloquio,
nisi idem scriptum extet in actis. Euoluantur hæc om-
nia, excutiantur singula: si non dico, sententia una ali-
qua poterit, sed uel ullus saltem apex reperiri, aut ullum
iota, unde probabilis suspicio eius rei sumi possit, nos
simpliciter noluisse colloquium: ego, ego inquam, unus
pro reliquis omnibus subibo supplicium, solus expiabo
crimen, solus luam penas tanti sceleris.

Temerarius forte hoc uidebor dicere. Sobrius sum:
nec me sciens uolensq; perdam, creditote mihi: nec pro-
fecto, nisi certissimus essem de ueritate huius historie,
proferre quicquam auderem penitus. Quare iam ad
priorem inficiationis nostræ partem nihil aliud addam
amplius, nisi quod confidens expecto uocem hac de re
aduersariorum: atq; si uiri boni, si homines ulla huma-
nitate præditi sunt, efflagito, ut, quod in apologia am-
bigue insinuauerunt, id diserte audeant, & palam enun-
tiare, nos simpliciter detractauisse colloquium. Si fece-
runt, conuincant ipsimetse impudentissima uanitatis: sin
non, spero cordatos uiros in posterum minus ipsis ha-
bituros fidem.

Ad alteram institutæ refutationis partem accedo. Nam
etiam si aduersarijs ita placuit apologiam formare suam,
ac si colloqui certamen simpliciter sit a nobis repudia-
tum: credo tamen si urgeantur in confessu principum,
eos præterea aliud quippiam in nobis causaturos, quod

ueluti causam probabilem obtexuerimus, quo minus uisum sit, in colloquio ulterius progredi: ne, cum exordium auspicati simus, a toto corpore nos abhorruisse, appareat, non satis uerisimile. Atq; hoc si uolunt (sicut eos uelle opinor) fateor equidem non penitus falsum illos dicere: nam ut aliud est, colloquium nolle simpliciter, aliud nolle, nisi sub conditione: sic fieri potest, ut conditio rei appensa uel necessaria atq; honesta sit, uel non necessaria ac turpis. Si hoc, in culpa sumus nos, carerent illi: sin illud, nos extra culpam, in illis haeret crimen. Vtrumq; pensitandum est diligenter, et exquirendum, num huc potius, aut illuc propendeat.

Et hoc quemadmodum euidentius cerni possit, & discerni rectius, ipsos imperiales recessus, quibus hoc Vuormatiense colloquium decretum est, adhibeamus iudices: ut si constet horum iudicium & constitutionem, necessariam honestamq; fuisse, nec ipsas illas, quibus isti colloquium uestiuerunt, conditiones appensas, non posse non honestas atq; necessarias existimari: nisi fortasse quis uellet de fide cunctorum principum, totiusq; senatus ambigere. Sed quas isti conditiones adhibuerunt colloquio? Tempestiue id quaeritur. Duo extant decreta imperialia, alterum Augusta in comitijs, alterum Ratisbonae sancitum. Augusta scimus nuper inter Catholicos principes & Confessionistas pacem religionis initam esse, atq; erectam hac lege, ut ea religionis pax, tantum modo ualeat ac rata sit inter eos, qui Catholicam religionem, & antiquam professi sint, & qui nouam istam, quam

quam Augustana confessio complexa certis quibusdam articulis expressit : contraq; , ut reliquæ omnes sectæ, quæ ab utraq; illa, uel ab alterutra dissideant, ab hac ista religionis pace seclusæ & sint, & habeantur : ut Zuingliana, ut Anabaptistica, eiusdemq; generis confimiles.

Secundo anno post, quam Ratisbonæ de hoc ipso colloquio, quæ eius forma, quæ materia, qui processus esse debeant, disceptatum fuisset in Senatu imperiali, inter ceteras conditiones, & hac annexa fuit, ut colloquium iam ex S. C. decretum tractaretur inter duas religiones, Veterem, & Confessionariam, cunctis præterea alijs sectis seclusis, atq; reiectis. Verè ego hæc, an falsò narrem, ad imperij status prouoco : qui citra ulla dubitationem possunt, quæ uoluntas imperialium recessuum fuerit, constanter uerèq; pronuntiare : ut autem uel ego priuatim, uel item alius pro captu sensus sui uoluntatem eorum, quos iam dixi, recessuum interpretetur, non licet, non expedit, non potest : confusio enim infinita sequeretur.

Quamobrem si imperialis Senatus hanc istam colloquio conditionem adiunxit, ut id non nisi inter duas celebretur religiones, Veterem & Confessionariam : si hæc ipsa conditio cum honesta, tum necessaria est ad eius tam grauis causæ tractationem : si aliæ sectæ, quæ illarum alterutri aduersentur, explodi debent : quid querimus amplius ? hoc fundamentum causæ præsentis est, hæc innocentie nostræ defensio, hæc refutatio obiecti eriminis, quippe

quippe ut inter duas partes duntaxat, hoc est, inter Catholicos & Confessionistas habeatur colloquium.

At qui uocentur Catholici, quærit forte quispiam. Sunt, qui scripturam S. orthodoxumq; eiusdem scripturæ intellectum, quem Ecclesia catholica ab apostolis accepit, ubiq; gentium dispersit, semperq; defendit, se profitentur amplecti, atq; tueri. Confessionistæ autem qui? Nimirum illi, qui articulos eos, quos confessio Augustana complexa est, defendunt contra Catholicos. Qui autem isti articuli & quales sint, nihil attinet monere, in manibus enim hominum ea confessio, frequens uersatur. Iam igitur si dubitas, inter quos, & de quibus habendum colloquium, scito inter Catholicos, & Confessionistas, & de articulis in confessione Augustana comprehensis, interim omnibus alijs partibus, omnibus alijs articulis seu sectis, quæ ab hisce articulis, & ab illis duabus partibus, uel ab alterutra dissideant, explosis atq; damnatis. Unde, credo, haud ambigue intelligi potest, neq; nudum a senatu imperiali, neq; simpliciter, sed ea, quam modo recensui, conditione circumscriptum esse, ac propositum colloquium.

Firmum itaq; hoc nobis, & fixum esto, hanc necessario illigatam fuisse colloquio conditionem, ne inter partes plures, quam duas. Etenim hac ipsa nos conditione ablegati fuimus, hac ipsa uenimus Vuormatiam, hac in colloquium descendimus: eademq; hac & nostros aduersarios ad idem negotium accessisse iudicabamus: scilicet ut illi pars una, nos essemus altera, submotisq; alijs partibus,

partibus, de articulis doctrinæ inter nos controuersis
conferremus. Id quod etiam spe eiusdem legis aliquan-
tisper fecimus, et omnino tantisper, quoad fraus ipsa su-
is detecta insidijs, ultro quasi admodum matura, prorum-
pebat. Nam quædam a nobis quæstio cum esset propo-
sita aduersarijs (refero quod ab ipsis extra colloquium
& scriptum & dictum est) tum illi intra dies 16 in col-
loquio (quamuis sæpius uocati) non apparebant, nobis
plane, quid accidisset, mirantibus. Tandem uero cum
suscitata litis incendium diutius alere atq; occultare pri-
uati parietes non possent, uulgo increbuit popularis fa-
ma, ingens dissidium esse inter theologos Confessionari-
os. Nec certe ita multum post, res famam consecuta, sic
esse edocuit, ut uulgo ferebatur. Etenim quinque theologi
ex aduersariorum collegio, Eberhardus Sneppius, Ioa-
chimus Morlin, Victorinus Strigelius, Ioannes Stösl,
Erasmus Sarcerus supplicatum uenerunt ad Regium
Præsidem, & ad Catholicos Assessores: obtuleruntq;
supplicationes quatuor, protestatione unam, & quid eue-
nisset, & qd fieri uellent, significabant: scilicet consili-
um & auxilium petentes, quid sibi faciendum, si quidem
a collegis suis pellantur ab actionibus colloquijs; nul-
lam aliam ob causam, nisi quod eas sectas, quas nos
Catholici, an sub Augustana confessione comprehendan-
tur, nec ne, postulaueramus diserte nominatimq; exprimi,
speciatim reijcere, ac condemnare in publico confessu
decreuissent. Cum autem reliqui collegæ sui id facere re-
cusent, quod ipsi necessario faciendum arbitrentur, se id
circo

circo exterminari, illos solos totius colloquii potestatem
sibi sumere. Querere autem a D. Preside, an collegæ
sui eam iure facultatem habeant, ut se submouere que-
ant, alios substituere: an, si ad colloquium admitti am-
plius, non debeant, sibi liceat domum ad suos reuerti:
atq; has suas supplicationes, ut Præses uelit in publica
acta referre, se obnixè petere.


Præses uero, ut in re admodum ancipiti substitit, cum
intellexisset id certamen latius patere, nec iurisdictionis
esse suæ, inprimisq; cum Confessionistæ de possessione
Augustanæ confessionis, utrius partis illa propria sit,
hostiliter concertarent, alteriq; alteros accusarent de-
sertæ atq; corruptæ confessionis, adeoq; ut plane du-
bium esset, utra pars aduersariorum proprie habenda
pro Confessionaria. Nam neq; de leuibus rebus, ut Me-
lanthonij uolebant, neq; de alienis, ut aliqui nostrum, sed
de grauissimis causis est ea disceptatio, præcipuisq; ar-
ticolis & fundamentis Augustanæ confessionis, ut de per-
sona Christi, utrum hæc sit ὁ λόγος: de naturis eius-
dem, num iuxta solam diuinam naturam is iustificet nos,
an secundum solam humanam, an iuxta utraq; de Chri-
sti descensu ad inferos: de libero & seruo arbitrio: de
preparatione ad gratiam, an homo possit liberum assen-
sum præbere, an uero non plus sentiat, quid Deus in se
agat, quam incus, quid malleus: de iustificatione, sit ne
idem modus iustificandi hominis adulti, qui infantis, sit ne
iustæ

iustitia Dei, qua homo iustus constituitur, diuina essentia,
an d'οκνοίς quaedam & imputatio tantum : de fide aut
sola, aut copulata cum bonis operibus : de spe, de chari-
tate, de penitentia, de bonis operibus, sint ne hæc ad sa-
lutem necessaria, an non sint : utrum lex cum ante, tum
post iustificationem debeat ad salutem requiri : de nume-
ro sacramentorum, sint ne duo tantum, an tria, an qua-
tuor : de baptismo, num hoc sit externum signum dun-
taxat : de eucharistia, uerum ne & naturale corpus Do-
mini ibi adsit, an sola corporis efficacia : de Ecclesia,
utrum hæc uisibilis sit, an inuisibilis : de iurisdictione ec-
clesiæ & traditionibus, & ritibus, et cæremonijs, an hæc
omnia αὐτῷ ἰσχυρὰ sint, ut aut omitti a quouis possint,
aut reineri citra ullum diuini humaniq; iuris discrimen.
Multa me hoc in loco præterire cogit promissa
breuitas. At tamen si uel hæc ipsa, quæ modo recensui,
& in lite posita sunt Confessionistarum, ex Augusta-
na confessione sustuleris, quid quæso illic poterit eius-
modi remanere, quod saltem aliqua ex parte nomen
tueatur eius confessionis ? Nihil penitus, si materiem
ponderes : exigua portio, si numeres titulos articulo-
rum.

Sed forte occurret nobis hic quispiam, atq; negabit uel
tantam esse, uel de tot etiam articulis inter Confessionis-
tas discordiam. Cui si licebit, quod res est, aperte respon-
dere, tria possumus fulcra uni ruinæ opponere : quorum
primum est, totius Germaniæ publicum testimoniū : secun-
dum, infiniti, quos ipsi aduersarij de suis inter se litibus
ediderunt,

ediderunt, libri: tertium perscriptæ collegarum ad Ca-
tholicos supplicationes. Ex hisce igitur si eorum con-
tentiones fecero ipsa luce conspectiores, credo fore, ne
illi posthac arbitrentur, cunctos mortales ita cæcutire
ad omnem solis obtutum, ut clarissimæ luci non cernant
tenebras offundi. At quia prolixitatem nunc uito, bre-
uitati studeo, catalogum ex eis, quæ commemoravi,
scriptis non contexam, alibi enim id feci, faciamq; de-
inceps uberius: modo hoc præstulor, me ut audeant, si
ita uidetur, falsa narrationis publice arguere.

Vnum tamen e quinq; scriptum ex-
clusæ partis huc ascribam,
ut ex uno cognoscas
riliqua.



SVPPL

SV PPLICA

TIO EXCLVS AE PAR-

tis theologorum Augustanae confes-
sionis exhibita Regio Præsidi Vuor-

matiae 2 die Octob. anno

I 5 5 7.

R Euerendissime D. Præses, et si ne-
mini nostrum ignota erat ingens in-
firmitas nostra, et ipsa moles negotiorum
et periculorum, cum fama et auditione ac-
cepissemus nos ad colloquium de religione
rebusq; diuinis Vuormatiam vocatos es-
se: tamen certum nobis deliberatumq; fuit
legitimæ vocationi parere et obedire, et
omnia consilia, omnesq; actiones nostras
referre ad gloriam Dei, et ad vniuersæ ec-
clesiæ salutem, cuius nos quoq; ciues et
membra esse profiteamur. Scimus enim nos

B

non

non ad iners et ignatum ocium aut ad
voluptates corporis natos esse, sed ortus
nostri partem Deo conditori, partem lau-
datissimæ patriæ et ecclesiæ dicatā et quasi
conseruatam esse. Quamobrem statuto
tempore Vuormatiā venimus, vt nō solū
verbis, sed etiam re ipsa operam officiū
nostri in maximarum rerum dīiudicatione
ecclesiæ Dei præstaremus. Sed ne illotis
manibus (vt dici solet) res tantas aggre-
diremur, ante colloquū inchoationem au-
dientibus collegis nostris diu multumq;
hanc sententiam agitauius, nō posse nos
fructum aliquem huius instituti colloquū
prospicere, nisi prius ex agro ecclesiæ con-
fusio multarū opinionum et sectarū longe
lateq; grassantium exterminata esset. Ita
enim censebamus, itaq; differebamus ante
initium colloquū certo constituendū esse,
quæ opinionēs cum verbo Dei et confes-
sione Augustana congruant, aut non con-
gruant,

gruant, quod nisi fiat periculū esse, ne nobis tanquam simiis saltantibus nuces obijciantur, et maiores dissipationes sequatur, quam hactenus extiterunt. Alij vero contra legæ disputabant, nihil magis obstare bonis consilijs, quam festinationem, et tantas controuersias re diu multumq; deliberata iudicandas esse. Illud etiam addebant plerisq; in hoc exiguo cætu theologorum nondum explore perceptas et cognitās disputationes, quæ contrarijs scriptis continentur. Postremo spem nobis faciebant fore, vt primo quoq; tempore post colloquiū Synodus aliqua solennis cōgregetur, in qua iusto ordine singulæ cōtrouersię ad calculos vocari possent.

Etsi igitur non solū mandata illustrissimi principis ac domini nostri Ducis Saxonię etc. in promptu habebamus, quæ disertè et seuerè præcipiebant, ne ad colloquiū societate nos adiungeremus, nisi om-

B ij

nibus

nibus sectis et corruptelis cōmuni consensu
damnatis, sed etiā alijs non leuibus neq; in-
firmis causis in eandē sententiā ducebamur
tamen ne videremur colloquij labores fu-
gere ac reformidare, aut cæca pertinaciā
colloquium turbare atq; impedire, ea lege
et conditione dominis Assessoribus et res-
liquis personis, quæ August. confessionē
profitentur, operam nostram polliciti su-
mus, ne quid de confessionibus nostris cō-
tra varias sectas et corruptelas euangelij
hactenus editos decerperetur atq; immi-
nueretur. Cum autem intelligeremus, et
propter ecclesias, in quibus docemus, et ad
nos ipsos muniendos formulā protestatio-
nis magnopere necessariā esse, non parua
nobis cum collegis contentio disceptatioq;
fuit de hac quæstiōe, utrū corā toto cætu
vtriusq; partis, id quod omnium tutissimū
videbatur, an coram nostris duntaxat cō-
fessio continens expressā et specialem con-
demnatio

demnationem sectarum et corruptelarum
edenda esset. Tandem vero ne videremur
nostros collegas velle in suspiciōē addu-
cere, et collocutoribus alterius partis salē
præbere, quem in nobis irridendis et exa-
gitandis consumerent, ea moderatione vsi
sumus, quæ eximium et singulare studium
sarciendæ et tegendæ inter nos concordiæ
evidentissime declarat. Etenim apud nos-
træ partis Assessores et auditores pro-
testationem deponendam esse, eamq; vsq;
ad colloquij exitum intra nostros parietes
premendam putauimus, nisi vel in medio
cursu colloquij altera pars necessitatē con-
sistendi nobis imponeret, vel post finē col-
loquij casus necessitatis, publicā editionem
postularet.

Hanc protestationem vni ex notarijs
in nostro hospitio scientibus et volentibus
dominis Assessoribus de manu in manum
tradidimus, qui quidē sine recusatiōe eam

B iij in

in fidem suam recepit, omnemq; operam in
adornando instrumento, vt vocant, adhi-
bitis vsitatis cæremonijs pollicitus est. Sed
post paucos dies, cum nouū controuersie
certamen extitisset, talem nobis qualem
acceperat, restituit.

Speramus ex his, quæ optima fide recita-
uimus, nec Reuerendissimæ D. Vestræ,
nec cuiquā bono viro obscurū esse, quantū
in nobis studiū fuerit nihil mouendi, quod
ad non necessariam colloquiū perturbati-
onem aut dissipationem quoquo modo
spectare posset. Nam et initio summo iure
uti nolimus, et postea eam æquitatatem
in formula protestationis adhibuimus, vt
speremus nos omnium bonorum iudicio
abunde satisfecisse.

Cum autem ab alterius partis colloca-
toribus ea necessitas confitendi, quid de
fectis existimaremus, nobis imposita esset,
quā nulla honesta ratione effugere pote-
ramus

ramus, non erat nostrū nominisq; Christi-
ani veras sententias occultare, cum necesse
sit interrogatos de doctrina respondere
iuxta hæc seuerissima mādata. Omnis qui
confitebitur me coram hominibus, confite-
bor et ego eum corā patre meo cōlesti.
Item parati ad reddendam rationem fidei
omni petenti. Deinde in tali casu, vbi se-
gregatio ab alijs sectis flagitur, nec des-
bemus nec possumus tegere eas confessio-
nes, quas hactenus in templis et scholis
sonuimus, vt Paulus inquit, Si quæ des-
truxi iterum ædifico, præuaticatorem me
ipsum constituo.

Et quoniam scriptum est, caute ab omni
specie mali, illud certe perficiendum est,
vt non solum nos ipsos, sed etiam bene
constitutas ecclesias et scholas, quarū mi-
nistri sumus, omni sectarum suspitione li-
beremus.

Accedit illa quoq; causa, cur officio nos-
stro

stro deesse nō possimus, quod decretū seu recessus imperij nequaquam nobis os obstruit et obturat, nec vult nos colloquio tanquam mutas personas interesse, sed hoc à nobis seuerissime requirit, vt simus fideles, et ea, quæ sentimus de religiōe, ingenue atq; aperte dicamus, ne in postremo mūdi die, quando filius Dei se iterum ostendet vniuerso generi humano, resuscitatis mortuis, insidiosæ occultationis iure ac merito condemnemur.

His et alijs causis, quas graues et magnas esse iudicamus, permoti, censuimus corā tota congregatione vtriusq; partis edēdam esse seu confessionem seu protestationē contra sectas et corruptelas iudicio veræ ecclesiæ iam pridem damnatas. Sed cum inuitis et repugnantibus cæteris collegis, nos tali protestatiōe vsuros esse omni asseueratione confirmaremus, tandem ab Assessoribus nostræ partis loco moti et officio

et officio nostro abdicati sumus.

Eam rem cum retulissemus ad Reuerend. D. V. addita formula protestationis, à Reuerend. D. V. responsum accepimus, cuius hæc summa erat, Assesores nostræ partis perseverare in sententia de nobis in colloquio remouendis: et præcipuam exclusionis causam à nobis superioribus literis ad Reuerendissimam D. V. expositam esse. Vtrum autem hæc recte an secus facta sint, pñ toto orbe terrarum iudicabunt, simul atq; intelligent nobis immutabilẽ necessitatem edendi confessionem contra sectas impositam fuisse. Vt autem nuper à Reuerendissima D. V. reuerenter petiuimus, vt protestationis nostræ summa actis colloquiũ insereretur, ita nunc quoq; ab eadem reuerentia petimus, vt et hoc scriptũ colloquiũ actis inseratur, idq; propter causas non modo ad nos, sed etiam ad Illustrissimum principem nostrum.

B v

et

et magistratus nostros pertinentes. Pro
hoc officio Reuerēdissimæ D. V. debitam
reuerentiam et gratitudinem pollicemur
atq; deferimus. Datæ Vuormatiæ Ca=
lend, Octobris Anno Christi

1 5 5 7.

Erhardus Schnepff. D.
Ioachimus Morlin D.
Victorinus Strigl.
Ioannes Stofsl.
Erasmus Sarcerius.

Erasmus Sarcerius privata quadam
schedula sua testatus est, se huic supplicati=
oni suorum collegarum subscribere.

Scitu

S Citu dignum est, quod referunt, uarias esse sectas, et corruptelas euangelij, easq; longe lateq; grassari inter se. Quae autem ea secta corruptelaq; sint, nos supra perstrinximus: illi hic in genere quidem, sed nominatim in alijs supplicationibus, pleniusq; in libris editis: quorum immensa copia in manibus populi uersatur, nec in concionibus scholisq; celant eos naufragij sui scopulos. Sit ergo hoc in confesso, quemadmodum ipsi testantur, uarias haereses & corruptelas euangelij longe lateq; grassari inter Confessionistas: quarum ipsi met sese accusent mutuo, tanq; teterrimarum auctores haesum. Deinde nec id indignum memoria, quod explosa pars, Sneppiani censent (idq; non absurde) nullum fructum ex colloquio sperandum, nisi prius omnes haereses ab Augustana confessione dissidentes secludantur, q̄ tentetur ulla controuersae religionis conciliatio. Quae enim certa poterit disputandi ratio miri, nisi firmiter constitutum sit (quemadmodum scimus ab imperiali senatu factum) de quibus rebus, & cum quibus personis? Sed haec ars est Melanthia, dubia omnia ut sint, & ut ipse hac occasione tanq; alter Cleon, perturbatis omnibus religionum fontibus, alijs coenum offendere possit, alios in suum rete pertrahere. At quanto melius eam artem Melanthon, tanto deterius: etenim accidit saepe, ut artifex sua arte periret. Quare nec illud in Sneppiana supplicatione praeterendum est, Melanthonios, omnes alias sectas malle silentio dissimulare, ut lateat uenenum haereseos, q̄ ferre Catholicos, ne aliquando ueritas Catholice

tholicae fidei elucescat, & pax reducat in Ecclesiam.
Sed idem hoc aliquanto pressius exclusi theologi in sua
protestatione. Referunt enim, quod Melanthonij dixe-
rint non esse nunc certamen sibi cum sectis, sed in hoc ui-
gilandum esse, ut, quod de papatu residuum sit, possit
euerri: ideoq; huc omnes neruos intendi debere, alias
haereses omitti.

Siccine recens istud euangelium? Amanter sane, sed
ut apud Homerum est,

οἱ τ' οὐ μὲν βῶδ' ὄσι, κακὰς δ' ὁ δῶδε μ' ἔργον ἔδοι.

Scilicet ut Plautinus ille Euclio ait, Altera manu ferunt
lapidem, panem ostendunt altera. Vel ut Psalmistes, Ore
quidem suo benedicebant, maledicebant autem corde. In
alijs ueteratorum istud est, in theologis nefarium, in nul-
lis tolerandum impune. Si eo animo expetuerunt collo-
quium aduersarij, si hac uoluntate Vuormatiam uene-
runt, si hoc fine proposito nobiscum inchoauerunt doctri-
nae collationem, quid nos de illis sentire debemus? quid
iudicare principes? quid exteræ nationes? qd deniq; no-
bis spei relinquunt in posterum? Nihil uideo equidem.
Hinc licet nobis conijcere, qualem isti uelint rempub. in
Germania, q̄ rationem fidei, q̄ formam religionis, ac pi-
etatis: quam et qualē Ecclesiam desiderent. Hæc omnia
profecto stare non possunt, sed ut uno ruant sumptu ne-
cesse est, si uerbo pacem flagitamus, re bellum gerimus.

Iuramenti forma iubet, ut pie, ut amice, ut candide.
Ecquid non satis pie, omnes reliquas sectas fouere cupe-
re, doctrinam Catholicam delere conniti? sedemq; D.

Petri

Petri euerſam uelle, & aſylum erectum ſectarijs? Noua
hæc religio eſt, uetus nihil tale. Sed quid? ſatisne
id etiam amice, omnem repudiare legem amicitiæ? Pro=
miſimus ſanctæ: fidem præſtitimus: acta teſtificabuntur,
nos pie, nos amice, nos candide & cepiſſe colloquium, et
finiſſe pariter eodem modo. De candore illorum nihil
attinet dicere, cum ipſimet liuorem atq; maleuolenti=
am præ immodica animorum insolentia, tegere non po=
tuerint. Quanq̃ uero non uniuerſis hoc debet imputari,
quod forſitan non niſi paucorum eſt crimen: Sneppianos
enim eius nefarii flagitij immunes arbitror, quando ipſi
idem nobis detexerunt: tamen haud importunum eſt, il=
lud non ignotum eſſe imperij principibus: ut, ſi forte an=
tea non credebant, iam cernere poſſint, qua fide agant
nobiscum, quo ſtudio tractent cauſam religionis, quo ani=
mo negotium æternæ felicitatis noſtræ procurent. Simu=
lant illi quidem ſe obnixè cupere colloquiũ, quaſi admo=
dum ad pacem proclines: diſſimulant autem callide, ſe
odiſſe omnem concordia, omnem amicitia, omnem tran=
quillitatis mentionem: tantum abeſt, ut ullam ſeriam ue=
lint conciliandi uiam ſuſcipere. Quod utinam populus
æque in his, a quibus occæcatus eſt ΦΙΛΑΥΤΙC, euiden=
ter cernere poſſit, atq; non obſcure uitia eorum uidere,
quos odit: ſpes mediufidius me certa heberet, breui fi=
nem fore hiſce in Germania concertationibus. Sed mitto
querelas: rem uideamus.

Nemini dubium eſt, quin, ut ſupra demonſtraui, duo
decreta imperij (quorum alterum Auguſtæ, alterum Ra=
tiſbonæ

tisbonæ ex S. Con. comitiorum editum) uelint iubeantque colloquium ad Calend. Septemb. anno a partu uirginis 1557, Vuormatiæ haberi inter duas has partes, Catholicos, qui ueterem religionem tuentur, & Confessionistas, qui doctrinam Martini Lutheri, omnibus interea alijs sectis & religionibus, quæ utriq; seu alterutri aduersentur, omnino exclusis atq; damnatis.

Quin nec hoc dubium potest uideri, ingens dissidium & inuidiosum exarsisse inter aduersarios: idq; adeo etiam uehementer & contentiose, ut, cum inter duas religiones tantum, Veterem & Confessionariam haberi colloquium debebat, iam Confessionaria palam quidem in duas, clam uero in multas contrarias sectas diuisa in colloquio apparuerit: quarum altera alteram accusabat hereseos, & de corruptelis confessionis Augustanæ criminabatur.

Sed cum nostræ iurisdictionis non esset eam istam litem (quod tamen quidam ex aduersarijs petebant) componere: fuimus profecto ancipitis consilij in re tam dubia, non solum utra pars aduersariorum habenda esset pro legitima confessionaria, cum neutra alteri cedens, ipsam confessionem ancipitem dubiamq; effecissent: uerum etiam an nos, salua authoritate imperialium recessuum, possemus uel cum duabus istis sibi ex diametro contrarijs religionibus simul inire colloquium, uel cum alterutra, prorsus ignari ac dubij, utra illarum nobis a Senatu impij opposita in colloquio censeretur. Res utraq; periculosa, et utram tangebamus, ulcus erat: nam si colloquium

loquium cum duabus et sibi & nobis contrarijs partibus haberemus, necesse erat, nos auctoritatem comitiorum spernere, decreta atq; recessus impiales uiolare: sin item cum alterutra parte conciliationem tentarem, uaria pericula & multa confestim accersi uidebantur. Etenim quid principes & magistratus partis exclusæ? An ratum habituri erant, si quid forte, suis theologis non consentientibus, esset conciliatum? Non uidentur: nec etiam, credo, inter futuri actorum publicationi, si quando in comitijs, quid gestum aut tractatum in colloquio sit, referri debebit.

Præterea & hoc nos commouebat non mediocriter, si cum alterutra parte, seclusa altera, continuarem colloquium, quod hæc scilicet seclusa pars, quoniam a tractatione religionis submota sit, idq; nobis exemplo nostro quasi approbantibus, ne etiam a religionis pace tali præiudicio submota existimaretur. Quod sane exemplo, consensuq; nostro, uel tacito, committendum non arbitrabamur, præsertim cum nobis constabat theologos exclusæ partis, non minus a statibus imperij, q̃ cæteros, delectos esse. Prouiderat enim sapientissimus Senatus imperij, nullum ex colloquio fructum perceptum iri, si cum singulis sectis priuatim debeat tractari concordia, quando alij id minime, quod alij determinarint, approbaturi uideantur.

Hiscæ rebus ita fodicantibus, illud restare uidebatur, ueluti extremum remedium, tentare an possent aduersarij in concordiam reduci. Quam quidem ad rem faciles nos

les nos promptosq; præbebamus. Nam etsi nemo non intelligebat, rectius in principio inchoati colloquij sectas eas, quæ utriq; religioni, Catholicæ & Confessionariæ aduersarentur, seiungi oportere, ut expeditius negotium procederet, q̃ in medio cursu, aut in fine: tamen dedimus id aduersarijs ex rescripto regio, licere illam peregrinarum hæresum condemnationem fieri, tum, cum articuli ij, in quos illæ hæreses eaderent, in disceptationem colloquij accerserentur: etenim hac spe & theologi, qui explosi discusserant, reuocari posse, & seditio inter illos oborta tolli existimabatur. Sed frustra laboratum est: nimis enim animis erant exulceratis, nimisq; longe inter se de præcipuis Augustanæ confessionis suæ articulis digladiabantur. Sneppiani enim & Illyrici (crasforda quædam referam) quia decreuerunt omnia Lutheri dogmata, siue bona illa sint, siue mala, omnino defendenda esse, cum sibi abunde satis sit, Lutherum uel illo uel hoc modo docuisse, rationes requiri non oportere, modo constet de uoluntate præceptoris sui.

Itaq; inter cætera, Sneppiani seruum arbitrium Lutheri tutantur, impugnant hoc Brentiani ac Melanthonij. Illi negant hominem posse liberum assensum præbere præuenienti gratiæ, hi affirmant posse. Illi sola fide iustum esse hominem, hi fide quidem principaliter, bonis autem operibus minus principaliter. Illi neq; spem, neq; charitatem, neq; poenitentiam, neq; ulla bona opera esse necessaria ad salutem hominis, hi contra esse necessaria. Illi legem nec ante, nec post iustificatioem requiri, hi requiri

requiri penitus. Osiandrini & Brentiani statuunt hominem formaliter iustum diuina essentia, quæ entitatis est summum: Sneppiani & Melanthonij hominem sola relatione, quæ entitatis est nihil, vtor illorum uocabulis. Brentiani & Osiandrini aiunt Christum esse iustificatorem secundum solam naturam humanam: Sneppiani & Melanthonij secundum utranq;. Quanquam sunt etiam, qui secundum solam humanam arbitrentur. Melanthonij doctrinam Caluini de eucharistia, & quibusdam alijs defendunt, aiuntq; id dogma sub articulis Augustinæ confessionis contineri: negant hoc & oppugnant Sneppiani. Præterea de iurisdictione ecclesiastica, de cæmonijs, deq; multis alijs rebus, quas breuitatis causa præmittito, tanta & tam acerba erat atq; est concertatio inter aduersarios, ut maius ipsis secum, q̃ nobis cum illis sit duellum.

Quamobrem cum aduersarij hoc tantum uulnus, quod contentione colloquij subinde magis inflammabatur, neq; tegere possent amplius, neq; ulla sarcindiæ inter eos concordie spes ostenderetur: non potuimus secus, q̃ fecimus, agere: quippe ne uel eas, quas imperialis senatus colloquio affixit, conditiones uiolasse, uel præiudicium aliud quod exemplo nostro attulisse principibus exclusæ paritis culpamur. Fuit ergo hæc plaga nobis tolerabilior uisa, a Melanthonijs abrupti colloquij nos falsò insinuari apud imperitum populum, q̃ ab imperiali senatu perfidie condemnari, quod neq; ex fide præstiti iurisiurandi, neq; ex præscripta lege colloquij, neq; ex æquo bonoq;

C

ipsius

ipsius causæ, rem tanti ponderis tractauissemus. Vocif-
rentur sane Melanthonij quandiu & quantum uolunt,
ac per me licet, ut cessent nunq̃. Fruor bona et tranquil-
la conscientia, consilio utor non malo, si suadæo dubijs, si
exhortor confirmatos, ne tam, quid isti noui prophetæ
clament, quam quid ueritas ipsa loquatur, attendere ue-
lint.

Urserunt colloquiū Melanthonij. Recte. Detracta-
uerunt Catholici. Non inficior. Sed quando? an conse-
ssim initio? Minime: sed tum demum, cum Melanthonij
collegas suos, Sneppianos excluserant. Qua autem de
causa detractauerunt? Primum quia Melanthonij neq̃
serio unq̃ expetuerunt colloquium, neq̃ idcirco Vuor-
matiam uenerunt, ut ueritas doctrinæ inuestigaretur, ut
tollerentur errores, ut pax fieret, cessarent lites: sed par-
tim ut residuum antiquæ religionis per fraudem oppri-
meretur ac fouerentur hæreses nouæ: partim ut p aliquot
actus subsecuti colloquiij, ipsi a nobis, quasi soli sint legi-
timi Confessionistæ, approbati haberentur. Deinde quia
Melanthonij nudum colloquium urgebant, sp̃reto eo mo-
do atq̃ ordine & conditione, quos imperialis senatus
præscripserat: nos contra non nudum, sed eo modo, eo
ordine, ea conditione ac lege, quemadmodum erat in co-
munijs constitutum.

In utris ergo abrupti colloquiij culpa hæret? In nobis
ne, qui colloquium haberi uolebamus ex præscripto sta-
tutum? an in illis, qui ex priuata libidine sua? In nobis
ne, qui præfixæ legi senatus parere uolebamus modeste,
quam

quam temere obsequi flagranti quorundam cupiditati?
An in illis, qui per uim collegas suos e confesso colloquiorum exploserunt, qui decreta imperij, comitiorumq; recessus contempserunt, qui non dubitauerunt malle priueta authoritate sua principibus imperij leges superbe dare, q̄ authoritate publica datas submisſe recipere? Cum igitur instant Melanthonij, clamantq; se per cupide efflagitasse colloquium: quid uolunt, quid significant aliud, q̄ ut tacito consensu nostro, eos principes, eosq; magistratus, quorum theologos a colloquij actionibus secluserunt, etiam secludant a fœdere ac pace religionis? Quid etiam aliud agunt, dum hos a colloquio seiungunt, quos imperialis senatus adiunxit, q̄ ut omnes status imperij habeant ludibrio, decreta comitiorum aspernentur, ipsius authoritatem Cæsaris ducant pro nihilo atq; uilipendunt? Quid deniq; sibi uolebant, quod tum nos tantopere ad instaurandum colloquium reposcebant, cum collegas exterminassent suos? Videlicet si assensu fuisset, ut illi incogitantia nostra abusi, comites nos haberent improbitatis suæ: utq; hoc isto prætextu stultæ assensionis nostræ posſent flagitioso facto suo fucum obtendere speciosorem: ut tandem, omni re infecta, nulla concordie spes in ecclesia, nulla tranquillitatis in Germania, nulla amicitie inter principes, nulla ratio conciliandi animos ciuium inter ipsos penitus relinqueretur.

Recitavi historiam abrupti colloquij: nihil affinxi de meo, nihil de alieno: nec quod abesse debebat, addidi, nec quod adesse, subtraxi: nec secus res gesta est, q̄ est

a me recitata: id acta colloquij testificabuntur, id referent omnes, qui interfuerunt, idemq; ex ipsa rei gestæ historia probe cognoscet senatus imperialis: cuius de hoc scripto meo iudicium non reformidabo. Sed hactenus de ipsa causa: iam placet apologiam aduersariorum expendere.

SCRIPTVM COLLOCVTORVM,

Augustanæ confessionis, qui in urbe
Vangionum fuerunt.

ET si multo magis optandum est, vt aliquando p̃ij et docti in ecclesiis nostris maiori frequentia inter sese candide, placide, sine odij, sine insidij, sine sophismatū præstigij de materijs, quas illustrari necesse est, colloquantur; quod vt theatricæ disputationes cum aduersarijs, qui manifestas idolomanias tueri solent, instituantur.

Optandum quidem putant, ut suarum ecclesiarum doctores inter se frequentes conferant: at quonam modo?

Primum

Primum placide, quoniam solent euangelici plerumq̃
seditiose agere: & sine odijs, quoniam charitas extincta
est, tumescit sola fides. Sed mirum profecto tantos euan-
gelij doctores etiam indulgere odijs, agere turbulente.
Deinde candide, sine insidijs. Quæ uero istæ sunt insi-
diæ? Vt absq̃; sophismatum præstigijs uelint causam tra-
ctare euangelij. Quid? Liore igitur, & quod scelera-
tius est, sophismatum præstigijs nouam religionem instau-
rant, insidijs delent ueterem? Quid agimus, quid agi-
mus, inquam, O Catholici? Ipsimet aduersarij tractant
materiam colloquij inter sese seditiose, inuidiose, mutuis
odijs, sophismatum præstigijs. Si hoc in fratribus non
uerentur, quid in nobis non ausint, quos hostes declara-
uerunt suos? Quanq̃ uero ita de collegis suis sentiant
Melanthonij, tamen (quod dictu incredibile est) cum istis
aiunt se malle conferre, quam cum aduersarijs theatricas
disputationes instituere. Theatricas disputationes ipsum
colloquium intelligunt procul dubio: unde & nos me-
rito intelligere debemus, & omnes pij statuere, aduersa-
rios colloquium neq; optasse unquam serio, neq; ex ani-
mo ullam uoluisse subire sedulam sarcindæ concordie
tractationem, neq; id cogitare, multo minus uelle, ut uin-
cat ueritas, succumbat error, ut pax regnet in ecclesia et
republica, exulet discordia, peregrinentur schismata,
atq; hæreses.

At fingunt nos solere manifestas idolomani-
as defendere. Nouum quidem uerbum idolomani-
as est, at uetus hæreticorum in Catholicos criminatio. Malo autem her-

eule illos fingere, quod uanum est, ut falso crimentur
clerum, q̄ asserere, quod uerum, ut legitime nos uereq;
accusent. Sciunt aduersarij malle sibi falsa diuulgantibus
populum credere sine teste (quia uult decipi, uult falli,
uult abduci in errorem) q̄ nobis habere fidem, autoritate
scripturarum rectoq; testimonio suffultis. Proinde quasi
simus indigni, quibuscum colloquium habeatur, simulant
nos idolomaniās defendere, ut iusta de causa, si ipsorum
tergiuersatio atq; fraus patefieret, colloquium subterfu=
gere existimarentur. Iam si hic nostrum aliquis instet, ur=
geatq; uicissim, ut nominatim diserteq; euincant, quasnam
idolomaniās tueri soleamus, tum illi continuo, ut sunt
etiam in re admodum uana confidentes, saepe aut abusum
alicuius rei priuatim unius, alteriusue, uel plurium per=
sonarum uitio introductum, aut etiam quod ab ipsis est
apostolis constitutum, ab ecclesia receptum, & ad hæc
tempora propagatum, idololatrias non uerentur dicere.

Sacrificium missæ, illis blasphemia est, aduocatio diuo=
rum, idolomania, defunctorum memoria, superstitio. Hoc
illos audimus asserere passim, at rationes aut scripturas,
quibus assertum euincant, nullas uidemus, nullas audi=
mus: nisi quia nusquam scriptura mandet: quod illi a=
bunde sibi arbitrantur sufficere: quasi eodem modo no=
bis integrum non sit affirmare, cum nusquam prohibeat,
nusquam condemnet, nobis optimo iure omnia isthæc li=
cere. Quanq̄ si homines insani sanum uellent scripturæ
sensum admittere, certum est nihil earum rerum non cer=
tissimis diuini uerbi fundamentis niti: uerum nunc calum=
nias

nias istorum refellimus, non edisserimus ecclesie doctri-
nam: itaq; ad apologiae confutationem nostra reuertatur
oratio.

Mihi sane ita uidetur, cum aduersarij theatricas col-
loquij disputationes subfugiant: cum angulos quærant
priuatos, inter sui similes ut liceat conferre: cum nos ido-
lomanias accusent, quas palam detestati sumus: eos nihil
aliud uelle, nihil committi studiosius, quam ut partim au-
res populi odio nostri refarciant, partim detestatione re-
ligionis antiquæ, nouæ hæresi suæ fauorem concilient:
atq; sub hac umbella ut queant omne colloquutionis certa-
men euitare cum aliqua honesta specie, omnemq; incun-
dæ pacis consultationem peruertere. Etenim quo alio
consilio affirmant se cum suis malle priuatim, si uiri boni
sint, de doctrina conferre, q̃ nobiscum in publico theatro
sustinere certamen, nisi quia hoc nolint, illud uelint?
Sed pergunt illi.

Tamen cum senatus imperij bono stu-
dio voluerit collationem doctrinæ fieri,
nos voluntati principum deesse noluimus,
quia confessionem doctrinæ et explicatio-
nem præsertim inter doctos, defugere nō
debet.

Si bonum iudicatis esse studium principum, ut habea-
tur colloquium, cur theatricas in colloquendo disputa-
tiones non probatis? qui etiam principum voluntati non

desistis, cum non uereamini decreta principum contemne-
re, recessus uiolare comitiorum, collegas uestros, quos
nobis adiunxerunt principes, contumeliose a colloqui
actionibus arcere?

Inchoauimus igitur collationem bona
cum spe, et vere, ac modeste de propositis
materiis respondimus, nec quaesiuimus
causas impediendi, aut turbandi instituti.

Qua tandem spe, quæso? Iam negant sibi theatricas
disputationes placere: iam bona cum spe se illas incho-
asse affirmant. Nisi forsitan possunt illi uelle aliquid,
quod non sperent, contraq; aliquid nolle, quod sperent
tamen. Ut inepte quidem philosophentur, at callide ta-
men præ se ferunt uelle, quod nolint, & nolle, quod ue-
lint.

Sed aduersarij arte distractionem quæ-
siuerunt, ut prætextum haberent abrum-
pendi colloqui.

Alias ignauos nos solent & indoctos dicere, nunc
quam nobis artem tribuant, non intelligo: nisi quantum
fortasse coniectura assequor, puto hoc illos uelle, cum
mucronem suæ aciei frustra in nos contorquendo hebi-
tassent, cepissentq; eundem stringere in sese mutuo, quod
spectatores eius pugnae esse, quam Melanthonij socia-
lem ferre opem malebamus. Si illud Agamemnonis recte
habet in fratrem, cum ait,

συνε-

συνωπρονεῖμ σοι βέλους, ἀλλ' οὐ συννοοῦμεν,
Cur idem nobis in aduersarios non licebat? Si in hoc
consilio nostro artem aliquam uiderunt Melanthonij,
esto sane, non luctamur contentiose. Verum quis inde
apparet prætextus abrumpendi colloquij? Collegas ue-
stros ut expuleratis, colloquij aliquot actus cupiebatis
habere nobiscum. At quo fine? ut scilicet subsecuti col-
loquij actiones uobis legitimam possessionem darent Au-
gustanæ confessionis, exclusis collegis adimerent: & ut
in hoc per subsequens colloquium, uobis suffragari, illis
derogare uideremur. Ecquid non bona cum spe incho-
astis doctrinæ collationem? Sed quid præscripta lex
habendi colloquij? quid recessus comitiorum? quid se-
natus imperij? Profecto mirandum est, tantam posse in
hominis mentem cadere peruersitatem. Eo ne colloqui-
um abrumpimus, quod uos socios pepulistis uestros? quod
nos id factum approbare non uolebamus? An quia uo-
bis placuit contra uoluntatem Principum, exclusis so-
cijs, pergere? Nobis non placebat, nisi socijs uestris re-
ductis, ex uoluntate principum? Nos hisce parere, ho-
nestatis erat, uestris cupiditatibus obsecundari, extremæ
turpitudinis.

Cum igitur palam ostenderent se in hac
doctrinæ collatione non processuros esse,
quam tamen nos semper efflagitauimus,
tandē et nos exposita uoluntate nostra in
scripto quod exhibuimus, huic discessimus.

Quæ istorum hominum impudentia sit, in domesticis tenebris ac fumis non facile perspicitur, foris mediocriter, in contentione euentissime. Vtinam hæc religionis causa in principum confesso ageretur, ut præsentibus ipsemet spectarent tractari negotium, quod nunc absentes audiunt ab alijs sæpe mala fide, nunquam bona, referri. Auiunt nos palam recusauisse collationem doctrinæ: quid cogitari uanius potest? quid dici impudentius? Efflagitauimus nos colloquium æque, atque illi: sed nos sic, ut esset ex præscripto recessu comitiorum illi, ut contra recessum. Recessus solummodo duas religiones in colloquio committi uolebat: Melanthonij ex una sua palam, duas, clam uero tres, aut plures etiam, effecerant. Hinc non obscure cerni potest, qua uoluntate illi efflagitarint colloquium, qua nos recusauerimus.

Ac cum extaret testimonium de consensu omnium, qui ex nostris ecclesijs adfuerunt.

Si liceret, nec inciuile uideretur, pro ueritate, quod æquum est, libere effari, non possem non eos, qui semel pudoris transferint limites, gnauiter impudentes, & qui dem impudentissimos dicere. Cum extaret testimonium, inquit, de consensu omnium. Quis isthic est consensus uester? Quis, per Deum immortalem, dicite? Itane omnium hominum aures obsurduerunt? omnium oculi obcæcati sunt, ut nemo queat audire, quid uos publice clametis, nemo cernere, quid in conspectu orbis terrarum tumultuose moliamini? Non Gygis annulo rem istam ge-

ritis.

ritis, credite mihi, occulta ut sit, sed infantis clamoribus,
sed publicis scriptis, sed concitatis seditionibus: quarum
tumultus uocesq; non solum aures, uerum etiam animos
hominum percellunt. Interea non pudet uos gloriari de
consensus uestri testimonio. At quod istud est, & quale
testimonium? Quis perhibuit? apud quem depositum est?
ubinam extat, quoniam extare dicitis? Si idem omnes, si
nemo sentit diuersum, unde ista inter uos tam hostilis, tam
atrox, tam internecina nata est contentio? Cur collegæ
uestri corruptæ confessionis ac desertæ uos accusabant
Vuormatiæ, & passim? cur uos illis curia interdixistis?
cur pepulistis ex colloquio? Consensionis causa ne, an
discordiæ? Si hæc facta esse negatis, estis impudentissi-
mi, acta enim colloqui uos, et scripta uestra redarguent:
sin affirmatis, qui potestis turpissimi mendacij crimen ex-
cusare in uestra apologia, cum scribitis extare testmoni-
um de omnium uestrum consensu? Miror equidem, mi-
rorq; supra modum, qua fronte audeatis, quo animo pos-
sitis, qua conscientia non dubitetis in publico effutire,
uos esse in doctrina confessionis uestre concordēs. Mi-
ror item, sed multo magis etiam, cum parricidiales iste-
lites uestre lippis, ut aiunt, et tonsoribus notissime sint:
cumq; uos nihilominus mutuam concordiam iactetis: q̃
uos populus oculis non detestetur, auribus non respuat,
quod principes ferre uos queant, quod tanti tamq; per-
niciosi mendacij crimen non censeant expiandum.

Diximus in eo scripto, nos adiuuante

Deo.

Deo, constanter amplecti scripta prophētica et apostolica, et symbola.

Vt nunc Melanthonij, sic quondam Ariani, sic Dimēritæ, cateriq; hæretici pleriq; omnes, se scripta Prophetarum & Apostolorum constanter amplecti, ac tueri uiriliter, profitebantur: at quo consilio, res ipsa commonstrabat. Nam tamen si scriptura S. omnia ea, quæ ad recte pieq; uiuendum, & ad salutem sempiternam sunt necessaria, abunde complexa est: sed ita complexa tamen, ut genera rerum contineat, non singulas res, non indiuiduas: quandoquidem præcepta diuinæ legis finita sunt, casus infiniti: qui quoniam dispares passim, diuersisq; uariati circumstantijs reperiuntur, impossibile est ad diiudicationem ecclesiasticarum controuersiarum nudum scripturæ textum literamq; sufficere. Huc accedit, quod ipsa etiam scriptura S. per se plena est arcanis diuinæ sapientiæ mysterijs: quæ (quemadmodum in absconditis consuevit fieri) alij aliter sæpe intelligunt, secusq; interpretantur, quam & ipsa ueritas postulat, & auctoritas ecclesiæ permittit. Eam uero ob causam Deus Ecclesiam catholicam dedit fundamentum euangelicæ ueritatis: ut cum hæc errare non possit, ipsa sit in domo Dei fidelis dispensatrix: ipsa negocia passim & casus emergentes, controuersasq; ad regulam diuinæ legis exigat, perpendat, diiudicet: ipsa arcanos mysteriorum sensus scrutetur, et euoluat, proferatq; orthodoxū scripturæ, & catholicum intellectum: qui sui similis sit semper, nec discedat a se, nec discrepet unq;. Et quia hic
iste

iste catholicus scripturarum intellectus, est ipsa fides
catholica (siue explicite quis illam, siue implicite tene-
at): consequitur ergo, ut eum, qui recte tenet, sit homo
catholicus, quia tuetur in symbolo hunc articulum, Cre-
do Ecclesiam catholicam: uicissimq; qui non tenet, ut sit
haereticus, quia, cum priuatum sequitur scripturae sensum
& suum, elidit illum articulum ex symbolo. Quocirca
mirum non est, si solum scripturae & nudum textum
postulent haeretici, repudient catholicum eius intelle-
ctum. Etenim gratum populo est & iucundum, profite-
ri se nil in concionem, nisi purum uerbum Dei asserre,
hominum commenta reijcere. Sed haec una sententia geni-
ni sceleris nutrix est. Primum enim nihil falsius, quam
quod in concionem populi nihil aliud asserant, nisi nu-
dum illud & purum scriptum uerbum Dei: addunt .n.
& ipsi suam quisq; interpretationem, eamq; raro con-
sentientem, saepe contrariam. Tum quorsum tot illorum
posillae, tot commentaria, tot loci communes, quibus
explanant scripturam, tot ordinationes ecclesiasticae,
quarum neq; modus ullus est, neq; finis? Aut sunt haec
ipsum Dei purum uerbum: aut cogitationes conciona-
torum. Vtrum mauultis, accipite. Etenim si hoc, quare
damnatis id in nobis, quod ipsi facitis? cur nostris enar-
rationibus fidem derogatis, uestris astruitis? Qua de
causa uestri loci communes, uestra confessio pro huma-
nis traditionibus non debent haberi, concilia & scripta
S. Patrum debet? Sin alterum illud uultis, cur non solum
scripturae textum recitatis? Quid opus est ista rethori-
ca uestras?

ea uestra? in quem usum tot editis librorum uolumina?
Sed frustra hæc percunctor a uobis: potissima. n. pars
concionum uestrarum sunt criminationes in clerum, sunt
conuitia modo in hunc, modo in illum episcopum, sunt
in pontifices, in reges, in principes et alios scurrilia pro-
bra ad contumeliam conficta: quorum neq; personæ,
nominatim, neq; causæ uel negotia speciatiim expressa
sunt in scripturis. Cum ergo hæc eiusdemq; generis haud
pauca detonatis in concione, purum ne illud, & solum
uerbum Dei sonatis? Vobis ita uidetur, at Deo secus. pijs
doctisq; hominibus aliter. O miserrimum populum,
qui flagitiose seductus cogitur conuitia uestra credere
esse euangelium Christi. Sed hæc prima illa impostura
est, quam dixi sub hoc fucō et prætextu, puri illius scri-
pti uerbi Dei, absconditam latere.

Altera eiusdem prætextus perniciēs est, quod, cum ne-
gent se quicq; præter solum illud, purumq; scriptum
uerbum Dei recipere, eō commodius possint hæreses oc-
cultare suas, eodemq; dolo omne legitimū de hærese
iudiciū defugere. Nam (exempli gratia) cum in scri-
pturis s. nusquam scriptum sit, Seruum arbitrium Lu-
theri est Manichæa hæresis: aut, Illyricana assertio, q̃
sola fides sufficiat ad salutem, est Iouiniana hæresis: aut
Zunglianum dogma, quod corpus Domini sit in eucha-
ristia figura corporis, est Berengariana hæresis: cum, in-
quam, hæc nusq̃ nominatim enuntiet scriptura sacra:
cumq; Confessionistæ præter solam scripturam sacram
(quoad hæc biblico textu comprehensa & scripta est)

non

non admittant ullam eiusdem scripturæ catholicam inter-
pretationem, nullum consensum Ecclesiæ & S. Patrum,
nullam auctoritatem conciliorum, nullū ullius episcopi
nullum ullius pontificis iudiciū: quid restat amplius,
quo tolli controuersia possint? Non equidem uideo. E-
tenim si ad scripturam decurrimus, illic nominatim hæc,
uel illa assertio non reperitur condemnata: sin ad testi-
monia S. Patrum, ad consensum ecclesiæ, ad auctori-
tatem conciliorum, hæc esse hominum commenta dicunt,
solum scripturam flagitant. Quamobrem nunc Melan-
thonij, quippe ut hæreses suas queant, hoc est, priuatas
scripturæ interpretationes tueri, & poenam uitare hæ-
reseos, gloriantur se apostolica & prophetica scripta
constanter amplecti.

Neq; discedere (scilicet diximus) neq;
discessuros esse à confessione nostra Aug-
ustæ exhibita anno 1530, nec mutare
nos doctrinam eius confessionis, nec mu-
taturos esse.

Quo modo non discessistis a confessione, siqui-
dem a socijs uestris Confessionistis non dubitastis disce-
dere? uel potius illos cogere, ut discederent a uo-
bis? De mutata confessionis uestre doctrina credo uos
esse sollicitos. Sed quī potest tegi? οὐ γὰρ ἔστι τ' ἐμπαλ
vñ κρυπτεῖν, ut ait Creon Sophocleus. Constat .n. po-
testq; in editis exemplaribus coram demonstrari, doc-
trinam Augustanæ confessionis sæpius commutatam esse,

non solum uerbis diuersis, explanatior ut esset sensus: ue-
rum plane contrarijs etiam, ut posterior sententia priori
ex diametro repugnet. Quid? an non euident est com-
mutatio doctrinae, cum Lutheri dogmata expunguntur
in Augustana confessione, & decreta reponuntur Calui-
ni, Osiandri, Maioris, Illyrici? Non angor animi, ne
me cogant aduersarij, ut ista probem, cum forte, si instent
nimium, ego exempla proferam eiuscemodi, quae & po-
pulo tenebras sint depulsura, & principibus datura oc-
casionem, ut familiarius inquirant suorum studia theo-
logorum. Si nihil immutastis, qua de causa tot centu-
rias sententiarum partim elisistis, partim commutastis in
operibus Lutheri? Credo uos hoc negaturos esse, nisi Ie-
nensis aemulatrix editio uos constrictos teneret.

Et reijcere nos dogmata cum ea confes-
sione pugnantia.

Si uere hoc, non fucate asseritis, quare non potuistis
tam a nobis, quam a socijs uestris & collegis adduci ad
certam eius rei declarationem? Decreta Tridentinae
synodi sponte damnabatis, Caesarium librum percipide,
nec inuiti Suencfeldij Anabaptistarumq; commenta tanq̃
ab Augustana confessione alieniora repudiebatis. Cur
idem iudicium de Caluini, de Osiandri, de Illyrici, de
Piccardorum dogmatibus ferre recusabatis? maximeq;
cum id comitiorum recessus iuberent, nos peteremus, so-
cij uestri postularent? Nisi quia cum hisce sunt uobis
communes calculi, cum illis non sunt.

Quod

Quod eo censuimus necessario dicendū
esse, ne calumniosæ spargerentur fabellæ,
nos velle noua dissidia accendere.

Quibus cum hic loquuntur? Cum principibus credo,
& populo Germaniæ. Penes hos enim cum nunc sit &
ius, & fas, & norma moderandæ religionis, purgant se
anxij de nouo inter socios dissidio. De quo si fortasse
tristior aliquis, crebriorq; rumor afferretur, ne principes
populusq; Germaniæ aliquando excitati inciperent du-
bitare de fide theologorum: qui, cum euangelicum spi-
ritum professi sint, non uideantur posse tales tantasq; di-
scordias, tamq; funestas exercere inter se: unde iam haud
leuis suspicio nata, negotium theologorum ualde dubi-
um efficiat: ne aliud os, aliud mens illorum loqui existi-
metur.

Eadem de re publice et nostris ecclesiis
hoc bono consilio significamus, nos om-
nes, qui hætenus hic mansimus, vt proce-
deret inchoata doctrinæ collatio, maxime
optare, vt ecclesiæ nostræ vbiq; trāquillæ
sint, et vnum in Deo, nec impediatur vera
Dei inuocatio inter nos vllis dissensionis-
bus, nec dilaceretur hic noster cætus, quē
certum est, esse Dei ecclesiam, quæ confes-

D

sione

sione, inuocatione et mutua beneuolentia
debent esse coniuncta.

Quam præsent in dictis factisq; constantiam, uidete.
Paulo ante esse inter omnes, qui e suis ecclesiis affuerint,
consensum gloriabantur: iam uero, ut tandem sit con=
cordia, & tollantur disidia, incipiunt optare, non ob=
scure significantes, q̄ scedis sint dissensionibus exacer=
bati, atq; distracti. At huic uoto aliàs pleno suspicionis,
securim iniiciunt, ne dubium reddat & anxium popu=
lum, sancte affirmantes istum illum cætum suum esse ue=
ram Dei ecclesiam, non obstante, quod in eo cætū reg=
net teneatq; episcopatum immanis Discordia, filia men=
dacis Sathanæ.

Ac affirmamus nos constanter amplecti
scripta prophetica et apostolica, et symbo=
la, et nec discedere nos, nec discessuros esse
à confelsiōe nostra Augustæ exhibita an=
no 1530, nec eius confessionis doctrinam
mutare, nec mutaturos esse, et rejicere dog=
mata, cum ea pugnantia.

Vbi dolor, ibi manus frequens est, ut dici solet. Quan=
quam sentiunt uulnus suum Melanthonij, uidentq; id isti=
uscemodi esse, ut neq; sanari queat ullo remedio, neq; fa=
cile occultari silentio: tamen quantum diligentia, stu=
dio, cura conuitti possunt, dant operam, si non ubiq; om=
nes

res homines, saltem ut passim aliquos latere queat tanti morbi sceditas. Quocirca uidere est, quam dissimulanter, quam trepide, quam laboriose conentur persuadere, se esse in doctrina confessionis suae constantes, se eam non mutare, non deferere. Sed quis Catholicorum ea de re litem fecit suam? Quid igitur opus est apud nos purificationem tam anxiam adornare? Collegis se purgent suis, qui ipsos de euangelij corruptelis accusant, qui palam scribant, publice asseuerant, ipsos partim abiecisse Augustanam confessionem, partim corrupisse multifariam. Excusent se principibus ijs, qui cum ante in bello ciuili, tum nuper in colloquio satis clare fidem Melanthoniorum experti sunt. Qua etiam de causa proceres Germaniae uidemus, quasi μετεωροσκόποι, aures attollere, oculos circumferre, atq; meditari iam quid tandem ex hac ista omnium rerum conuersione, quam recens theologia inuexit, euenturum sit, inprimisq; cum nemo non animaduertat fatali quadam necessitate ad ruinam impelli urgeriq; imperium Germanorum. Eam sane totius Germaniae perturbationem quia minime ignorant Melanthonij, clamant itaq; cum Baal, Est pax, est concordia, de doctrina consentimus, apostolica & prophetica scripta amplectimur. At quonam modo? ut supra diximus, fraudulententer, insidiosae, peruerse: nolo enim quae antea dicta sunt, repetere.

At enim uos, o socordes prophetae, an creditis istud uestrum nimis peruulgatum aucupium, non intelligis aut commenta uestra, quae iam sensibus hominum patent me-

D ij diocriter

diocriter, discuti non posse, collustrari non oportere? Erratis, si id creditis, ruitis si scitis, & non corrigitis. Fallaces enim istas technas uestras, quas fūco apostolorum scriptorum, confessionisq; uestre adumbratis, docti homines ex tenebris in lucem protraxerunt, populus notauit, principes ad animum ceperunt reuocare. Quare etiam si millies eadem repetentes inculcetis, nihil, credi-
tote mihi, effeceritis.

Affirmamus etiam inter nos, qui hic sumus, nullam esse de doctrina confessionis nostrae dissensionem. Hunc consensum nostrum publice omnibus notam esse volumus, ne turbentur ecclesiae calumnijs.

Iterum idem, ἀὐτὶς ἄν, quasi Corinthus Iouis filius. Animi enim perturbati, indicium est titubatio iterantis linguae. Quid uero attinebat idem iisdem uerbis iterare? Tametsi nihil habetis frequentius in ore, at contra nihil minus in opere, nihil magis diuersum in animo? Pudeat uos tam manifestae uanitatis. Si asseueratis esse consensum inter uos omnes, qui ex omni parte Augustanae confessionis affuistis statim ab initio colloquij, omnem pudoris sensum abijcitis: sin uero inter illos solummodo, qui, postquam Sneppiani explosi discesserant, remansistis, & hoc fictum falsumq; est, atq; futile: contrarium enim ex scriptis uestris, alijsq; non incertis documentis polliceor me probaturum esse. Verum Melanthonij in genere locuti,
fallaces

fallaces haberi maluerunt, ut ueritatem eluderent, quam simplices, ne aperte id, quod res est, cogantur dicere. Nam si neges ipsis esse cum Sneppianis de doctrina consensum, mox se Brentianos intelligere affirmabunt. Si etiam cum hisce dissidentes demonstraueris, continuo ad domesticos prouocabunt, et ad suarum ecclesiarum theologos, hoc est, Lipsenses & Vittenbergenses. Nimirum hoc caput est artis Melanthiæ, consensum uerbis profiteri, re nutrire discordiam. Nec ab hoc discedunt sequentia.

Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut uulneribus ecclesiæ ipse mediatur, sicut sese in imagine Samaritani pingit, qui medetur sauitio viatori.

Quæ nam isthæc uulnera sunt? An quæ alij uobis, seu uos ipsimet inflixistis? Sed dicitis,

Oramus etiam omnes, ne uulnera ecclesiæ magis lacerent, seu calumnijs, seu non necessarijs rixis.

Vt Catholicos orent, honorem ijs istum non tribuunt, quemadmodum in exordio apologiæ cerni potuit, siquidem nos tanquam idolomanes, ne colloquio quidem dignos iudicauerunt. Quapropter eos, rogare suris, necesse est. Sed qui hoc congruit cum eo, quod affirmant se esse in doctrina concordēs? Si id, ut dicitur, uerum est, quæ

D iij modo

modo sine calumnijs, sine non necessarijs rixis lacerant ecclesia sue uulnera? Etenim nemo eius, quem amat, & quocum colit concordiam, uulnera lacerat, sed curat potius, nisi amens sit, insanitque amore. Ita plane homines disertis non uident se non solum disiecta, maleque coherentia, uerum etiam prorsus contraria dicere.

Semper fuerunt, sicut et erunt, et infirmitates, et lapsus aliquorum, qui si sunt sanabiles, non ut hostes trucidentur, sed sit discrimen inter ciues et hostes, inter sanabiles et non sanabiles: nec exerceatur saeuitia in eos, qui pie admoniti non contumaciter repugnant.

Quid hic deprecetur Melanthonij, & quibuscum hanc orationem habeant, nihil ad nos. Sed Illyricanis credo eos supplicare, ut, cum nihil rixis effectum sit, arbitrentur, si modo sint ita sanabiles, ut in Caluini partem abduci possint, prece illos leniendos esse potius, quam trucidandos. Sed ut dicam ingenue, non intelligo, quid uelint.

Denique meminerimus seuerissima mandata diuina, quae vetant ecclesiarum tranquillitatem non necessarijs rixis turbare, sicut in Zacharia dicitur, **veritatem et pacem**

cem diligite, retinete doctrinæ et inuocationis puritatē, et sit cura tuendæ tranquillitatis, ne languefiat, aut extinguatur vera Dei inuocatio.

Vere sancte Zacharias, ut ueritatem diligamus, & pacem : quarum utraq; uox uobis in ore semper est, sed neutra in corde, multo minus in opere : quo sit etiam ut lingua uos diligatis, non re, non ueritate, ut Apostoli uerbis utar, planeq; cuncta sunt, quemadmodum Oedipus inquit,

λέγω μὲν ἐσθλὰ, τοῖσι δ' ὀφυσισμυκακά.

Nec etiam est, ut aliud aut uos ab illis, aut illi a uobis expectent, aut nos ab utrisq; uestrum : mali etenim ea natura atq; uis est, ut uel bonum corrumpat, in quo est, uel, si ab hoc excussum sit, corrumpat ipsummet sese. Hactenus quidem de apologia : de subscriptis nominibus obiter admonebo.

Reperiuntur nomina Melanthoniorum apologia subscripta, sed prorsus aliena a catalogo Collocutorum & Adiunctorum. Paulum quidem Eberum scimus, & Iacobum Andream in Confessionistarum parte propositos esse & receptos in colloquium pro notarijs, pro adiunctis autem uel pro collocutoribus neq; habiti sunt, neq; deputati fuerunt. Matthæum uero Aulberum nemo nostrum uiuum norat, tantum abest, ut ab ullo statu imperij delectus sit, aut unquam apparuerit in colloquio. Quod

etiam Ioannes Marbachius & Michael Dillerus intru-
si sunt tum, cum Melanthonij collegas suos exturbarant,
fatemur sane quo iure, quauē iniuria id factum sit, nos
ignorare: quanq̃ hoc certum est, neq; hos duos, neq;
illos tres uel in numero collocutorum, uel adiutorum
constitutos esse ex decreto Ratisbonensium comitiū:
sed ex priuata auctoritate eorum, qui propensius Me-
lanthonijs, quam Sneppianis fauere auimaduertebantur.
Nam ut disidij sui labem tegerent Melanthonij, fu-
cumq; facerent aliquem imperitis, nec omnino hiulcus es-
set in sua parte collocutorum, adiutorumq; catalogus,
nothos collegas suffarserunt, cum expulissent legitimos.

Quibus e rebus, si omnes diligenter expendantur,
perspicuum est, Melanthonios neq; bona fide quicquam
agere, neq; de controuersis doctrinæ articulis unq̃ uo-
luisse candide conferre, neq; concordiam religionis ul-
lam, etiamsi ea posset quoquo modo componi, cupere,
nec id studere, ut saluti reipublicæ, tranquillitatiq; ali-
quando consulatur. Quamobrem Reuerendissimi illu-
strissimiq; Antistites, ac Principes, expergiscimini tan-
dem, inuigilate, tempus est, hora uenit iam pridem: no-
lite spem remedij expectare ab his, qui inflixerunt uul-
nus: nec concordie modum ab illis petite, qui discordie
authores faciesq; & sunt, & fuerunt semper: nec quam
ipsi minime habent, pacis legem, postulate. Vos, uos ip-
si Præsules in causam hanc incumbite, si salui esse uultis,
si oppressionem ecclesiæ, cuius episcopi estis, auersami-
ni, si dignitatem illius auctoritatemq; incolumem stare
desideratis,

desideratis, si iucunda uobis salutarisq; est gratia Re-
demptoris, ira terribilis, poena grauis, salus eterna cha-
ra: neruos huc intendite uestros, huc omne studium,
omnem curam, huc omnes ingenij uires cogitationesq;
conuertite: atq; nolite committere, ne multo citius ex-
teræ nationes ante prouidisse ruinam Germaniæ, q̃ uos
domi aut sensisse aut suffulxisse uideamini.

Res enim qualis hæc sit & quanta, uidetis. Certe
non de leui, sed de omnium grauißima agitur: non qua
conditione uos dignitatem in terris uestram tueamini, sed
quo modo rationes sitis reddituri in cælis: non quo pa-
cto hic oues uestræ uicturæ, sed uicturæ ne sint omnino,
an perpetuo exitio ignominiaq; peritura. Hac de re
agitur Antistites: quæ quamuis attingit uniuersos, com-
munis causa enim est: at nullos arctius tamen, nullos
mortalium propius, atq; uos: quibus Deus hanc functi-
onem imposuit, & hoc ipsum onus functio, ut pauci ue-
strum curam geratis quam plurimorum: idq; ea fide,
eaq; lege, ut nihil dubitetis uitam uestram profundere
pro lege & grege Christi: qui ipsemet eius rei exem-
plum in se statuit, quod amulati sunt apostoli, imitati
martyres: quorum uestigia in templis uestris quotidie
calcatis, quorum monumenta semper uidetis clarissimos
testes tantæ uirtutis, atq; constantiæ. Exempla dura.
Multo duriora, cum Deus seuerè minatur, se uelle oues
suas reposcere de manibus uestris. Posuit enim ille uos
speculatores in domo Israël, dedit ille uos dispensatores
uillicationis suæ, præfecit ille uos gregi suo pastores. si-

deiq; uestræ & curæ commisit, concredidit, demandauit
œconomiam ecclesiæ suæ. At qua lege? qua conditio-
ne? Pastores ut sitis germani, ut fideles œconomi, ut ci-
ues legitimi, non mercenarii, non alienigenæ, parati scili-
cet hic mortem miseram oppetere, ut illic beatam uitam
reperire possitis, ut hic certamen decertetis periculosum,
illic ut coronam gloriosam reportetis.

Atq; profecto nisi sic animati, sic instructi, sic in om-
nem partem, euentumq; erecti pastorale pedum suscipi-
atis, susceptumq; gesseritis, scitote nihil certius futurum,
quam quod Deus confestim uelit ipsam manus a uobis
auferre, deinde acerbe exactissimas rationes exigere ad-
ministrati muneris. Notæ enim sunt grauissimæ illæ a-
pud Ezechielem Dei comminationes: quarum memoria
horribilis esse debebat, quando earum uiolatio semper
fuit exitialis.

Quæ uero ullæ possunt esse in uita calamitates tantæ?
quæ pericula tam grauiæ? quæ miseriæ, quæ ærumnæ,
quæ clades adeo tristes? qui cruciatus, aut mors ita for-
midabilis, ut queant cum illa Dei comminatione compa-
rari? Mortem natura omnibus proposuit, crudelem ne-
cem nonnullis sepe adfert tyrannis, sed utramq; præter
culpam pleriq;, idcirco lenius cadit etiam: at turpem
exitum non nisi uoluntas potest, sempiternum exitium,
non nisi nefaria in Deum perfidia asferre: quæ eam ob
causam tanto maius malum existimari debet, quanto hæc
caduca atq; momentanea semper æternis minora ducun-
tur: siquidem totius lucrum mundi ne cum minima qui-
dem

dem particula sempiternae salutis conferendum existima-
uit Redemptor Christus.

Quare si quem timorem uobis iniecit audacia secta-
riorum, eum exemplo auitae fortitudinis abijcite: si quan-
tarditatem aduexit diuturnus labor & molestia, eam su-
perate alacritate animi, eam deponite studio uirtutis, ac-
spe melioris fati: eamq; istam hanc, quam tempus por-
rexit, quam suggestit ipsa causa, quam coeleste numen
diuinitus suppeditauit, occasionem nolite e manibus e-
mittere. Non deerunt pacata & honesta consilia, ad-
uersarijs haud improbanda, uobis uero, ecclesijsq; ue-
stris non salutaria solum, sed admodum necessaria etiam.
Quae porro haec consilia sint, nihil nunc attinet dicere:
disciplinam ecclesiae emendate, mores cleri corrigite,
tollite abusum, rem ecclesiae seruate incolumem, haereses
uero si in communi dominico agro extirpare non licet
propter iniquitatem temporis, saltem quod optime licet
propter Caesaris ceterorumq; principum equitatem, in
domestico agro territorij uestri eas eradicare, eas euelli-
te, propelliteq; foras, quae intus latent, & quae fors
sunt, arcetote, ne irrepant elam, ne palam irruant.

Nec dubium est, quin reliqui principes, ubi studium
diligentiamq; uestram animaduuerint, ubi mores cleri
honestiores conspexerint, ubi doctrinam catholicae fidei
uiriliter serioq; defendi fideliter tradi ac propagari au-
dierint, uiderint, intellexerint, quin & uobis cleroq; ue-
stro (cum sint animo generosi, natura recti, iudicio gra-
ues) multo equiores futuri sint, quam antea fuerunt.

unq.

unq̃. Iam illi non occulte cernunt solam istam theologo-
rum discordiam esse id malum, quo labascit dignitas im-
perij, quo decus patriæ obsolescit, quo deniq; cuncta
ruit peritq; Germania: cernunt illi hosce eosdem esse di-
scordiae authores, qui nomen pacis simulant uerbis, rem
pacis angue peius oderunt, qui discordijs ecclesiæ pas-
cuntur, pace ciuium tabescunt, qui omnia ex priuata li-
bidine metiuntur, nihil ex communi consilio, nihil ex
bono publico. Cernunt hæc principes, & ideo iam non
obscure intelligunt, nisi ipsi istis illis suorum theologo-
rum dissensionibus modum aliquem posuerint, infinitam
secuturam in moribus populi turpitudinem, horrendam
in rebus publicis barbariem, deplorandam in Germania
uastitatem, interitumq; omnis pietatis, atq; uirtutis. Quæ
omnia una uidetur discordia breui allatura, nisi obste-
rint principes, opemq; tulerint, ut pietas uera possit, ue-
tusq; religio instaurari, noua deleri, & falsa persuasio
eradicari ex animis hominum. Quare uos decet

Reuerendissimi Antistites, non indormire
tempori, ut, cum Deus ipse adsit hu-
ic causæ Patronus, ne uos
desuisse officio uestro, merito culpari
possitis.

F I N I S.

go=

im=

acta

di=

rem

pas=

li=

ex

non

go=

tam

lam


nia

ua

ite=

ue=

sio



Biblioteka Jagiellońska



stdr0042053

